



2089 katkomp.

L. Moos. Si. De P

Lyanowski swanstai: Napajúťšov ex gloriosissimi
mo Redemptoris nostri Domini Jesu Christi
resurgentis, de morte et inferno triumphans
pho conceptum.


PC

N. 177

Biblioteka Jagiellońska



stdr0004497



Π Α Ρ Α Μ Υ Δ Ι Ο Ν

Ex gloriosissimo Redemptoris
nostri Domini

IESV CHRISTI

RESURGENTIS,
de Morte, & Inferno Triumpho

CONCEPTVM.

Ac pro Xenio Paschali deuoto
affectu

Spectabili ac Clarissimo Domino,

D. GABRIELI OCHOCKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore & Profess. Pro-
consuli in Vrbe Cracouien: digniss.

CONCINNATVM

A STANISLAO ZYZNOWSKI, Artium & Philosophiæ
Baccalaureo.

Anno ab orbe Redempto. 1642.

CRAC. Apud Valerianum Piatkowski.

434.

24

In Stemma Mæcenatis.



Hunc gladium Tibi seu Mars seu Astræa reliquit,
Virtuti tribuit præmia iusta Tuae.
Sollicitas curas, vigilans ast Lunæ labores
Et merita in Patriam plurima significat.
Donec Luna igitur proprio regnabit in orbe,
Stet semper florens OCHOCLIANA Domus.

BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

2089 I

Speſtabili ac Clariffimo Domino,

D. G A B R I E L I

O C H O C K I,

Philofophiæ & Medicinæ Doctori & Profeſſ.

Proconſuli in Vrbe Cracouien: digniſſimo, &c. &c.

Domino & Mæcenati colendiſſimo.



NON dubito, *Speſtabilis* & *Clariffime Domine*, quin hoc, tenui licet depictum penicillo, *Paramydion* ex gloriſſimo *Saluatoris noſtri, IESV CHRISTI, Triumpho*, conceptum; quod *Tibi in Cultus. Pietatis* & *Obſervantiæ Symbolum*, hiſce auſpicatiſſimis diebus ſanctiſſimi. *Paſchatis*, deuoto affectu dedico: benigno vultu excipias; & beneuolo animo complectaris. Cum & muneris exiguitatem, magnus offerētis ſuppleat animus. & res exigua proprio valore & pretiō, non omninō deſtituantur. Neque impedit; ſi minus gratā voce canamus. In eo namq; Tu donabis audaciam, non improbabis conatum. Pro

*miscuos auium certantium concentus non repudiare,
nec aspernari didicit Paterfamilias, & non minus pati
tur Coruum inconditè crocitantem, quàm Philomelam
auscultat suauissimè modulantem. Proinde Tu Claris-
sime Domine qualequale est hoc munus, non aspernabe-
re, ut potèis, qui te omnibus mirè humanum, omnibus fa-
cilem, & humilem præstare soles, & quantò sublimior
existis, tanto te submissiùs, geris, ita ut quosuis etiam,
minores, summâ sermonis affabilitate, & comitate, iam
tuos, nexu & mâcipio feceris. Quorũ ego minimus, has
hodiernâ die Tibi defero Camænas, nec me iam meæ pu-
det audaciæ. Auiculas, siquidem aiunt, cum nihil pos-
sent opulentiùs, plumas ad magnificentissimum Delphici
Apollinis templũ, sicut & apes ceras vltirò detulisse.
Sic & ego ad hæc tot gloriæ tuæ monumenta, quæ alij
partim tibi dedicârunt, partim etiam dedicatũri sunt:
hos versiculos, infimam ingenij mei opellam, adiungo.
Vine vale & lógos Dij dent tibi Nestoris annos.
Vine valeq; diu, vine vigeq; diu.*

Spectabilis & Clarissima Dñationis Tue,

ad omne obsequiorũ genus promptissimus.

*Stanislaus Zygnowski
Artium & Phil. Baccalaureus.*



CARMEN.

AVreus igniuomos, Titan, de gurgite tollens
Iūgit equos, spargitq; comas: & plena rosarū
In chorēas, plaususq; vocat rutilantia signa:
Proscriptæ fugiunt noctes, iam territa migrant
Nubila: deformes vmbrae, tristesq; niuosis
Diffugiunt tenebris, emergit in aëra castum
Impolluta dies: puraq; aspergine lucis
Florida gaudet ouans tellus, iam murmurat æther
Lætitijs; iam celsa suis tonat aula Camænis.
Dū celebres, Christus, p̄strato ex hoste, Triūphos
Victor ait, mox nectareis concentibus auras
Allèluia pium resonātes suauiter implent.

At scelerata cohors trucibus satiata benigni
Supplicijs Domini: gens perfida, cæca, rebellis,
Gens quā Scylla vorax spumantibus expuit vndis

A 3

Quam

Quam ferrū & scopulos gestasse in corde fatebor.
Gens Iudæa, suum noluit quę noscere Regem.
Sed tamen occisi nunc est sibi conscia Regis
Perpetuo squalere metu, concussa dolore.

Cogitur; & tumulum munit custodibus, excors.
Neu primo fiat peior nouissimus error :
Præcipit, vt Dominus subitâ iam morte sepultus
Si forsan superas caput euexisset in auras,
Discipulos furti accusent : neu gratia factis
Nulla rependatur; largos dant præmia nummos.

O scelus! ô facinus! quàm pectora cęca furore!
O noua non vllis aut visa, aut cognita, seclis!
Fallere corruptis cupiunt custodibus orbem.
Fallere corruptis sed qui custodibus, optant;
Illius ad tumulum positus, fallentur ab ipsis.

Nox erat, & placidū carpebant fessâ soporem,
Cuncta per & terras, & lati stagna profundi
Corpora : purpureis fulgensq; Aurora quadrigis
Iam medium æthereo cursu traiecerat axem.
Mæsta creatorem flêrunt Elementa peremptum
Illum namq; hominū damnatū ob crimina terra,
Ægra tulit, tremulis multum concussa ruinis.

Squali

Squalidus interea genitor Phaëtonis & ex pers
Ipte sui decoris, qualis cum deficit orbi
Esse solet, lucemq; odit, seque ipse, diemq;
Datque animum in luctus, & luctibus adijcit irā
Officiumq; negat mundo, & se subtrahit orbi
Tuquoq; deformesq; genas pallentia que ora
Contegis, inferiasq; tuo das Luna Tonanti.

Pallida tunc Genitrix gladio concussa doloris
Deflebat Natum Diuina Virago Maria
Addunt se socias gemitus, tristisque laboris:
Magdalena ferens oculos spumantis amomi,
Et Iacobi, & Salomes coniunx, sic cætera turba
Plangorem dederat, sternebaturque sepulchro
Discipuliq; pij fidum fleuere Magistrum.
Cætera dans planctus vlulauit Turba fidelis.

Ecce autē CHRISTVS, diuerso ex hoste, trophæis,
Et spolijs raptis in signis victor opimis
Illæsis signis tumuli de funere surgit.
Stipat vtrumq; latus Cælorum Exercitus omnis
Victoris: taliq; auras modulamine complet:
Ipsa PATRIS summi Sapientia viuq; VIRTVS
Saluator Christus, Satanæ prostrator, & atri
Destru

7
Destructor Lethi, momento temporis isto
Victor adest Erebi, deuictâ morte triumphat.

Est specus horrendum, sequi Penetralia Ditis
Limosiq; lacus stygis & male olentis Auerni
Mille capax aditus, & apertas vñdiq; portas
Tartarus infelix habet, antraq; mille cruenta:
Vnde exaudiri gemitus, & sæua sonare
Verbera, tñm rigido regnū tonat omne fragore.
Quo simul intrauit CHRISTVS, mox corpore pres
Intremuit limen: tria Cerberus extulit ora (sum
Et tres latratus simul edidit, ille repente
Detentas animas in Lymbi carcere Patrum.
Euocat, eductis Cælestia limina pandit.
Quem simul agnōrunt, inter caliginis vmbas
Surrexêre patres, Bellatoremq; salutant
O domitor Satanæ, vitæ, instaurator & Author!
O diuūm soboles salue! salue! inclita proles
Expectatus ades nobis Phlegetonte sub imo
Carcere terribili oclusis per millia multa
Te nostri luctus, suspiria, Teq; vocabant.
Libertas miseris, sis consolatio mæstis.

His ergo eductis tandem fulgore coruscus,
Extulit

Extulit & victor, remeans impleuit Olympum

Lætitijs, totiq; tulit noua gaudia mundo

At Princeps Erebi prædâ spoliatus opimâ

(Horresco referens) extemplo percitus irâ
Immani intumuit, vano plangore Tyrannus.

Nec fatis, in totum spargit conuitia cælum:

Inq; Deum eructat diras, atq; ore cruento

Intonat, & rabidus multa ac metuenda minatur.

Belliger at CHRISTVS subtractam carcere plebē

Ampla trophæa ferens superâ reduxit ad aulâ.

Mox sua desilentem solatus funera Matrem,

Discipulis largum & mæstis testatus amorem,

Atria conscendit propria vi Cælica, Victor.

In folioque PATRIS sedet, æternūq; sedebit

Omnipotens, Dominus, cæliq; soliq; Monarha,

O igitur quisquis Cælestia gaudia quæris

Nunc plausum ingemina mecū clamore secūdo

CHRISTO surgenti gratare, atq; vsque precare,

Tu quoq; delictum, GABRIEL clarissime, Phæbi

Ocyus O Ч О С К И propera Regemq; saluta

Euinctus que caput nitidū bene olētib' herbis,

B.

Indulge

Indulge Cytharæ, fidibus, quate ter pede terram
 Quiue Machaonia excellens & magnus in arte
 Existis: populus Tibi opes & munera mittat
 Eueniant subitò soleant quæ optarier imis
 Pectoribus: faustos successus det Deus almus.
 Cum Sponsâ & vitæ tranquillos proroget annos
 In te oculos atq; ora ferant quâ incesseris omnes.
 Viue valeq; diu, felix bene viue valeq;
 Tandem vbi fesus eris cælo nouus incola fias.

Dedicatio.

<i>Paru</i>	<i>fero</i>	<i>magnâ</i>	<i>men</i>
<i>usparua</i>	<i>sed</i>	<i>munera,</i>	<i>te.</i>
<i>Magn</i>	<i>legas</i>	<i>latâ</i>	<i>fron</i>



m

